

habeant, nihilominus ista sine illis in tuto positus & confectis consistere recte, imo plane non, possit. Vnde saepius a nostratibus monitum est, quod, *qui neget communicationem naturarum & Idiomatum realem, reipsa, sive verbis id faciat, sive minus, neget & tollat unionem personalem duarum naturarum,* (F. C. p. 766. *Hypostatica unio sine vera illa communicatione naturarum nec cogitari nec subsistere potest!*) quia respectu λόγος persona, natura & idiomatica divina realiter non differant. Atque hoc postremum uti Allocutor contra Reformatos recte urget, Instit. p. 359. ita etiam prius sollicitate erat urgendum.

§. III. Apparet hinc, quare quotiescunque ad hoc fidei punctum perventum est, quotquot ex Reformatis de veritate doctrinae nostrae intus convicti, tentare pacem voluerunt, hoc semper πολυθύλλητον urgerent, *non agi hic de articulo quodam fundamentalis, cum alii ex ipsis e contrario ob doctrinae χάσμα, & persuasionem sui erroris, ecclesias nostras nihilominus gravissimarum haeresium accusarent.* Eo majori vero cum admiratione, animique sensu intuemur, esse in nostra ecclesia, qui tantum depositum leviter habeant, & *parum in eo positum esse dicant, imo ad fundamentum fidei plane haud pertinere, nec tollere fraternitatem in Christo fingant.* Atque hoc omnibus illis, qui ad praecipitia syncretistica vel similia Henoetica consilia delapsi fuerunt, velut proprium & domesticum fuit. Militat pro hoc asserto velut pro aris & focis F. V. CALIXTUS *de via Pacis P. I. p. 155. 259.* ubi muros ex verbo Dei a nostratibus structos temere satis dissolvere & diruere conatur. Idem facere virum perdoctum CASP. CALVÖRIVM in *consultatione de pace ecclesiastica p. 530.* miramur, ita tamen, ut robori argumentorum allatorum ipse non satis fidat. Petita enim ex indole hujus *quaestionis saltem armatae, ex ignorantia simpliciorum, deficiente consensu expresso multorum Evangelicorum, & alia, ita sunt comparata, ut credamus CALVÖRIVM, si voluisset addere responsionem, (ad patrocinandum causae justae,*

C 2

quod